Julius episcopus servus servorum dei Venerabili fratri Oliverio Episcopo Ostien. Salutem et apostolicam benedictionem. Ad personam tuam quam divina
clementia magnis illustravit muneribus gratiarum paterne dirigentes considerationis intuitum ac attente prospicientes quod tu Romane ecclesie cunctis honorabile membrum existis tuorum honorum plenius magnitu-
tudine meritorum dignum quinimmo potius debitum reputamus ut illam tibi reddamus in exhibitione gratiarum munificam et in tuis oportunitatibus liberalem. Cum itaque hodie tibi certum aliud sub datum videlicet tertiodecimo
Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno primo prestimonium seu prestimonialem portionem aut simplex beneficium tunc per obitum quondam Fernandi de Acuña illius ultimi possessoris extra Romanam
Curiam defuncti vacans seu vacantem et antea dispositioni apostolice reservatum seu reservatam tibi per te quoad viveres tenendum regendum et gubernandum seu tenendam regendam et
gubernandam motu proprio commendari concessissemus concessioni commende huiusmodi litteris apostolicis super ea non confectis in manibus nostris sponte et libere cessisti. Nosque cessionem huiusmodi tunc admittentes
prestimonium seu prestimonialem portionem aut beneficium huiusmodi adhuc ut prefertur vacans seu vacantem et antea eidem dispositioni apostolice reservatum seu reservatam Venerabili fratri nostro
Johanni Episcopo Terracinen. per eum quoad viveret tenendum regendum et gubernandum seu tenendam regendam et gubernandam per alias nostras litteras commendavimus prout in illis plenius
continetur. Nos tibi ut statum tuum iuxta Pontificalis exigentiam dignitatis decentius tenere valeas et ne ex cessione predicta nimium dispendium patiaris de alicuius subventionis
auxilio providere teque gratioso favore prosequi volentes motu simili non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate tibi quod cedente vel
decedente prefato Johanne Episcopo seu prestimonium seu prestimonialem portionem aut beneficium huiusmodi alias quomodolibet dimittente seu amittente et commenda huiusmodi etiam apud sedem
apostolicam quomodolibet cessante liceat tibi ad prestimonium seu prestimonialem portionem aut beneficium huiusmodi cuius fructus redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera
secundum communem extimationem valorem annuum ut accepimus non excedunt liberum habere accessum illiusque corporalem possessionem per te vel alium seu alios presentium quarum
vim valide et efficacis commende habere decernimus propria auctoritate libere apprehendere et retinere absque aliqua alia nova tibi desuper facienda commenda in omnibus et
per omnia perinde ac si concessioni tibi facte huiusmodi minime cessisses auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus
apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis et indulti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem
hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum
Anno incarnationis dominice Millesimoquingentesimotertio Quarto Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno Primo

V. de Phano

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

DIPUTACIÓN PROVINCIAL SEVILLA ARCHIVO
PERGAMINOS, 486
Hospital del Cardenal, leg. 45

n 297

DIPUTACIÓN DE SEVILLA
ARCHIVO

Vallisoleti

El proceso q̃ se hizo por los juezes app^cos por virtud del breue y la sentencia q̃ dieron en q̃ approuaron el titulo del tributo de las casas de la Sirga al Carnero Diego de Riuera por el Conv^to de S. Miguel de los Angeles

n 297

N 297

Instrum^tos